

& propterea velle in posterum ab illo suscipi. Non enim titulus iste infert obligationem in posterum. Nā quod fuerit hospitatus, nō præsumitur in titulo, & causa obligationis, sed familiaritatis, & amicitia, sicuti tradunt Flor. in d.l. cum de in rem verso. nu. 1. vers. idem dicit. Lucas de Penna in l. 3. in præsumpt. 80. C. de apochis public. lib. 10. & Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina, nume. 68. de causa possess. & propriet. Huc pertinet quæstio disputata à Pileo in q. 84. in fin. cum diffinit prælitum ab Abbate, & monasterio ꝑ hospitalitatis causa, non inferre obligationem in posterum. Hæc tamen declaratio lo- 82 cum non habet, fauore ꝑ causæ, cui censetur in futurum obligatus, qui diu sua liberalitate aliquid præstitit. Ita post alios Mar. in sing. 194.

Declaratur quartò, vt procedat hæc præsumptio, quã do singulis ipsis annis facta fuit hæc ipsa prælatio. Secus si semel tantum, pro omnibus ꝑ ipsis decem annis. Non enim hæc vna sola pro multis annis inducit præsumptionem tituli, & iustæ causæ. Ita Cyn. in d.l. si certis annis. q. 6. C. de pactis. & ibidem Iaf. col. vlt. ver. 8. limit. & Dec. num. 1. & 12. Balb. in tract. de præscr. in tertia parte q. 10. num. 26. vers. 5. limita. confert quod tradit Bar. in d.l. cum de in rem verso. num. 8. quod vnica prælatio ꝑ vsurarum non sufficit ad præsumendam obligationem pro futuro tempore. Idem sensit ibidem Sal. nu. 12. & traditionem hæc probat d.l. cum de in rem verso, sicuti explicauimus supra. Huc etiam facit, quod diximus supra in primo capite, in quarta declaratione tertij casus, post Io. Fabr. Iafonem, & alios, quod vna prælatio facta pro tribus annis, non sufficit, vt titulus fauorabilis, inualidus tamen conualideretur.

Declaratur quintò, vt locum habeat, quando hic allegans titulum, & causam præstationis, ꝑ probat verè, & clarè, præstationes illas fuisse factas per decennium, secus si probaret præsumptiuè tantum: vt puta, quod prælatio fuerit facta tribus vltimis annis. Nam est is, qui soluit tribus illis vltimis annis, præsumitur soluisse etiã alijs annis antecedentibus. iuxta l. quicumque. C. de apochis publ. lib. 10. & dicemus infra. Attamen nostro in casu non sufficit hæc probatio. Ita Butr. in c. litera. de dilatio, quem secuti sunt Iaf. in d.l. si certis annis. col. vlt. vers. nono limita. C. de pact. Tiraq. in tract. de præscr. §. 1. gl. 5. in fi. & Vasquius in tract. controuersiarum illustrum. c. 58. num. 1. qui referunt Castresem dissentire. Huc pertinet, quod respondit Ruin. in cons. 29. num. 4. lib. 4. cum dixit, quod quando constat verè de actu, tunc 87 ꝑ cursu decennij præsumitur solemnitas, quæ versatur circa ipsum actum; secus verò si de ipso actu solum constat præsumptiuè, & dicemus in subsequenti præsumptione, in octaua declaratione tertij casus.

Declaratur sextò, vt procedat hæc præsumptio, quando 88 do ꝑ præstationes fuerunt vniformes, secus si difformes. Ita Dec. in d.l. si certis annis col. vlt. ver. item in d.l. cum de in rem verso. C. de pact. & Balb. in tract. de præscr. 1. particula tertij partis principalis. q. 10. num. 23.

89 Declaratur septimò, vt locum non habeat fauore ꝑ minorum. Ita Alex. in cons. 94. n. 6. lib. 7. Corn. in cons. 98. num. 3. lib. 1. Et comprobatur ex his, quæ dicemus in subsequenti præsumptione, vbi explicabimus, quando solemnitas præsumatur cursu temporis.

Secundus est casus huius tertij capitis, quando scilicet agit de obligando aliquem ad ius personale, vt puta subiectionis, & vasallagij, vt puta, si quis seruiuit ali- cui, tanquam vasallus. Hoc casu titulus, & causa præstationis ꝑ non præsumitur nisi cursu triginta annorum. Ita Bart. in d.l. solent. in fi. ff. de officio Proconf. & legati. in l. cum de in rem verso. prope finem. ff. de vsuris, & in l. lib. tibus. C. de agricol. & cens. lib. 1. Bal. in l. si certis annis. colum. vlt. C. de pact. & ibidem Iaf. col. vlt. vers. 6. limita. alios recensent, & probant Iacobi, in d.l. si certis annis,

num. 2. vers. item limitabis. Ball. in tract. de præscr. in prima particula tertij partis. Principalis. nu. 34. Did. in c. possessor. part. 2. §. 4. nu. 5. de reg. iur. in 6. & Vasquius in tract. controuersiarum illustrum, c. 84. nu. 21. qui affirmant hoc multo magis locum habere, quando adest cursu temporis immemorialis.

Tertius est casus, quando agit de præiudicio tertij, 91 tunc titulus, & causa præstationis ꝑ non præsumitur, nisi cursu viginti annorum. Ita in specie limitat Iaf. in l. si certis annis. nu. 2. vers. 5. limita. C. de pactis. & ibidem Iacobin. nu. 22. vers. limitabis tamen. ca. peruenit. col. 6. de censibus. Alex. in cons. 1. n. 20. & in cons. 17. col. pen. lib. 6. idem in l. sciendum. nu. 12. de verb. oblig. Qui quidem de solemnitate extrinseca non præsumenda in præiudicium tertij loquuntur. Qua de re differemus infra in subsequenti præsumptione in tertio casu.

Quartum est huius disputationis caput, quando quis agit contra eum, qui nihil facit, sed passus est tantummodo aliquid in suo fieri, atque ita quando agit contra patientem, & allegatur titulus, seu causa illius patientis, ad cuius quidem tituli probationem adducitur cursus temporis. Hoc caput desumpsit ex Bart. in d.l. cum de in rem verso. col. 3. nu. 7. vers. aut contra patientem. ff. de vsuris. Et hoc in capite distinguo, atque constituo aliquot casus.

Primus est, quando agit de præsumendo titulo, & 92 causa ad ꝑ commodum patientis. Hoc sanè in casu solo cursu decennij præsumitur titulus iustus. Ita Bar. in d.l. cum de in rem verso. nu. 7. Iaf. in l. si certis annis. num. 7. C. de pact. & Balb. in tract. de præscr. in prima particula tertij partis principalis. q. 10. num. 10.

Et hanc sententiam præcitati Doctores falcit text. l. si filius. C. de petito. hæred. vbi si filius diu possedit hæreditatem filii delatam, præsumitur aditio, atque ita legitimus titulus.

Verum Salic. in d.l. cum de in rem verso. nu. 9. vers. & hoc primo, scribit, d.l. si filius. nō loqui de substantia obligationis, sed de quadam præambula solemnitate, quæ facillè præsumitur. Qua de re differemus in subsequenti præsumptione, vbi etiam explicabimus tex. l. qui in aliena. ff. de acquir. hæred.

Secundus est casus, quando agit de præsumendo 93 titulo obligatorio contra hunc patientem, de cuius pleui incommodo, modicoque præiudicio tractatur. Hoc casu præsumitur titulus iustus, probata decenniali patientia. Ita Bar. in d.l. de in rem verso. nu. 7. ver. aut in ipsius incommodom. & ibidem Fulg. nu. 5. & num. 7. Cast. in l. seruitute. ff. de feruit. vbi etiam Florianus Alex. in l. si certis annis. col. pen. C. de pact. idem in cons. 50. colum. vlt. lib. 3. & in consil. 12. nu. 7. lib. 4. Fel. in cap. de quarta. nu. 25. & in c. causam. nu. 18. de præscr. Dec. in l. 1. in tertia lectura. nu. 78. C. qui admitt. & prius Bal. ibidem nu. 38. & Balb. in tract. de præscr. in prima particula tertij partis principalis. q. 10. nu. 7. & 12. qui testatur esse communem opinionem, sic, & Boer. in q. 42. n. 5. Et horum traditio fulcitur in l. qui in aliena. vers. si non adierit. ff. de acq. hæred. Est enim modicum præiudicium quo hæreditas delata filio acquiratur patri ob spè, quã filius habet futura successionis. leg. cum oportet. §. cum autem. C. de bonis quæ liberis. Et contra modicum præiudicium fit patri, si vsusfructus sibi delatus acquiratur filio, ob votum parentum erga filios. Et propterea si pater, patiente diu filio, id est decem annos, vt exponunt præcitati Doctores, possedit, aditio atque ita titulus præsumitur contra ipsum filium. Et in casu dictæ legis, qui in aliena præsumptio est, non autem fictio, vt rectè declarat Dec. præcitato in loco.

Secundò affertur tex. l. seruitutes. la grãda. ff. de feruit. vbi patientia diuersa, hoc est decennialis præsumitur seruitus iusto titulo acquisita, aduersus eum, qui passus

sus est alterum ire p̄ fundum suum. Ea creditur ratio, quia de modico patientis præiudicio agit, & idem probat l. si quis diuturno. ff. si seru. vend.

Tertio confert l. 1. C. de pat. potest. de qua diximus supra.

Quartò adducitur glos. communiter recepta in l. pe. C. communi diuid. Cum dixit, cursu decenniali præsumitur titulus diuisionis bonorum inter fratres, qui passi sunt inuicem possidere bona hereditaria separatim. Et hoc ea ratione, quia agit de modico præiudicio, vt inquit Bart. in d.l. cum de in rem verso. nu. 5. & ibid. Flor. nu. 1. ver. adde & aliam, & diximus supra hoc libro, in præsumpt. 60.

Et hæc quidem communis est & retinenda opinio, & si dissentiant Cyn. Bald. & Ang. in l. si certis annis. C. de pact. Bal. in l. cum de in rem verso, in lectur. antiqua de vsuris. Alex. in cons. 179. nu. 6. lib. 6. & Fernandus Vasquius in commentarijs controuersiarum illustrum. cap. 58. num. 12. & num. 13.

Tertius est casus, quando agit de præsumendo titulo obligatorio contra patientem, de cuius magno præiudicio tractatur. Hoc casu sola patientia decenniali, non præsumitur titulus iste iustus, & legitimus. Ita Bar. in d.l. cum de in rem verso. nu. 7. ver. si vero tractatur de magno. ff. de vsuris. Idem in sua disputatione, sen q. 7. Mulier habens. col. pe. ver. aut loquimur in casibus. Et Bar. secuti sunt Bal. in l. pen. nu. 4. C. communi diuid. in l. solemnibus. nu. 3. C. de rei vend. & in l. 1. nu. 38. C. qui admittit. & ibidem Dec. in tertia lectura. nu. 78. in fi. Alex. in cons. 179. num. 6. lib. 6. Ruin. in rub. ff. soluto matr. nu. 196. & Balb. in d. tracta. de præscr. in 3. par. q. 10. nu. 7. ver. aut verò & tertio. Vasquius in commentarijs controuersiarum illustrum. ca. 58. nu. 13. & alios plures refert Tiraq. in tract. de præscr. §. 1. gl. 4. vers. & hæc quidem. Exemplum huius casus affertur potest secundum Bald. in d.l. solemnibus. nu. 3. Quidam possedit rem meam, pro qua me sciente, & patiente per decennium præstitit censum. Hæc mea patientia non facit, vt præsumatur titulus censuarius pro ipso possidente. Est aliud exemplum, quod commemorauimus supra hoc libro in præsumpt. 8. num. 35. ea ratione ij moti sunt, quod non sufficit hoc casu titulus præsumptus, sed requiritur titulus verus, & possessio vera, vel titulus putatiuus causatus iusto errore. l. Celsus. ff. de vsucap. & l. nullo. C. de rei vend. Et accedit text. l. quam Tiberonis. §. alia causa, primo respõ. ff. de pec. vbi sola patientia non præsumitur concessa administratio. Et confert, quod vbi nulla præcedit cã, & titulus, præsumptio formari non potest, cum illa ab aliquibus circumstantijs, & coniecturis deducatur, vt in specie docuit Bald. in d.l. pen. nu. 4. C. communi diuid. & idem sensit ipse Bal. in d.l. licet. n. 1. ver. aut patientia non habet. C. de iure delib. Dissentiunt tamen à prædictis multi congesti à Tiraq. in loco præallegato.

95 Declaratur primò, vt non habeat locum, ꝑ quando vsus est re illa, causa seruitutis sibi debita. Ita Castren. in dict. l. seruitutes. in fin. ff. de seru. Salic. in leg. si certis annis. in fin. & ibidem Alex. in fi. C. de pactis. idem Alex. in consil. 108. ad finem lib. 2. & Balb. in dict. tractat. de præscr. in prima particula tertij partis principalis. q. 10. num. 8.

Declaratur secundò, vt procedat hic casus, in patientia decenniali, secus verò in patientia longissimi temporis. Ita Imò. in c. peruenit. col. 3. de censib. Alex. in l. sciendum. col. 4. de verb. obl. Cur. Sen. in consil. 76. super motiuis. col. 2. & Balb. in d. q. 10. n. 27. vers. hanc conclusio- nem. Idem sensit Crau. in tract. de antiq. temp. in 3. par. principali. in princ. num. 23.

Ita & multò magis in patientia, cuius initij memoria non est in contrarium, vt tradit Fel. in cap. ex officij. col. 5. in quarta limitatione. de præscr. qui scribit hoc casu

allegandum esse titulum, qui dein de probatur cursu ipso immemoriali. Verum à Felino rectè dissentit Crau. in tract. de antiq. temp. in secunda particula quartæ partis principalis. num. 58.

97 Quartus est casus, quando agit de ꝑ præsumendo titulo liberatorio, à lucro odioso contra patientem, de cuius magno præiudicio tractatur. Hoc casu titulus iste liberatorius præsumitur decenniali patientia. Exempli gratia, quando maritus per decennium distulit petere alimenta, atque ita interesse dotis sibi non numeratæ. Hæc sanè patientia decennialis præsumi facit titulum liberatorium à lucro hoc, siue interesse odioso, contra maritum. Ita Bar. in d.l. cum de in rem verso. n. 7. vers. si vero tractatur de præsumendo. ff. de vsuris. quem secuti sunt multi à me congesti supra hoc libro, in præsumpt. 25. num. 2. vbi hanc opinionem aduersus alios multos probaui.

Quintus est casus, quando agit de præsumendo titulo liberatorio, à lucro ꝑ fauorabili contra patientem, de cuius magno præiudicio agit. Hoc in casu nō præsumitur longi temporis cursu titulus ex sola ipsa patientia. Ita Bar. in d.l. cum de in rem verso. nu. 7. vers. aut de liberatione lucris. ff. de vsuris. Et Bartolomæus secutus est Fulg. ibid. nu. 7. & Balb. in d. tract. de præscr. in prima parte tertij partis principalis. q. 10. nu. 12. ver. 3. limitatur. qui inquit, diuersum esse, quando cum ipsa decenniali patientia, alia concurrunt.

99 Sextus, & vltimus casus est ꝑ in beneficiis libris. Hoc enim in casu non sufficit decennialis patientia, ad præsumendum aliquem titulum. Sed plura requiruntur, quæ explicat post alios Gomez. in regula Cancellaria de trienniali possessore. q. 26. col. 7. vers. secundus casus. vbi ad rem alia scripta reliquit.

*Solemnitas intrinseca, & extrinseca, quando, & quomodo, vel temporis cursu, vel alia ex causa præsumatur in contractibus, alijsque actibus inter viuos diligens explicatio?*

S V M M A R I V M.

- 1 Solemnitas intrinseca est, alia extrinseca.
- 2 Solemnitas intrinseca quid secundum Bar. & alios.
- 3 Solemnitas extrinseca quid.
- 4 Solemnitas obligationis intrinseca præsumitur.
- 5 Fideiussio sine stipulatione non consistit.
- 6 Videtur, verbum præsumptionem significare.
- 7 Inuestitura includit presentiam.
- 8 In iure qui dicitur, præsumitur seruitus solemnitate.
- 9 Monachum qui se afferit præsumitur esse iustæ ætatis.
- 10 Notarius afferens scripturam suam authenticam esse, de ea rogatus præsumitur.
- 11 Solemnitas intrinseca adhibita præsumitur, ijs etiam in contractibus, qui solum iure speciali sustineri possunt.
- 12 Dotis incerta promissio, speciali quodam iure valet, & mediante stipulatione facta præsumitur.
- 13 Actus vt sit firmior, interpretatio in dubio sumitur.
- 14 Solemnitas obligationis intrinseca præsumitur, etsi verba ad tempus præteritum referantur. Idque non solum in actu principaliter gesto, sed etiam in actu enunciato num. 15.
- Item & in præsumptione materiali. num. 17.
- Nec referuntur præsumptio hæc allegatur. num. 20.
- Fallit vbi contraria probationes extant, vel efficacior aliqua præsumptio. num. 21.
- Aut verbum aptum significare solemnitatem, natura actus repugnat. num. 24.
- Vel actus probetur testibus. num. 25.
- Item & eo casu, quo lex requirit, vt solemnitas intrinseca probetur.



betur, non enim tunc præsumptio sufficit, sed testes aut scriptura est necessaria. num. 26.
Vel quando lex requirit actum, cum certa solemnitate fieri in scriptis, ad finem probandi, nu. 27.
36 Instrumenti executione contra fideiussoribus petita, iuxta dispositionem statuti, instrumentum debiti principalis, producere non est necesse.
38 Emptionis contractus sine pretio non consistit.
39 Affirmans aliquid, dicitur affirmare omnia præcedentia, sine quibus actus non consistit.
22 Instrumenti contra tenorem alia probatio non admittitur, quam per aliam scripturam.
23 Solemnitatis contra præsumptionem, non sufficit probatio per testes.
38 Solemnitas extrinseca adhibita non præsumitur, nisi in actu expressa sit, nullo temporis cursu extante, isque qui assertit in possessione ipsius actus sit.
Idque locum habet, etiam si extrema probata essent, non tamen præsumuntur media extrinseca. nu. 31.
Similiter etiam in solemnitate, qua communiter consuevit interponi, num. 32.
Fallit tamen, si in actu enunciata fuit, & verosimiliter tunc adhiberi potuit, nu. 33.
Idem si huic solemnitati non enunciata, partes potuerint renunciare, num. 34.
Vel si is contra quem allegatur, nil opponat, nu. 35.
Aut illa enunciata sit à viro summae fidei, & probitatis, n. 36.
Si præsertim de modico præiudicio ageretur, nu. 38.
Idem si adversarius, qui convenitur, contractum neget, & de mendacio fuerit convictus, nu. 39.
Aut iuramentum sit in ipso contractu adhibitum, omnia solemniter acta esse, nu. 49.
Vel agatur de solemnitate tacita qua in expressa includitur, numero 41.
Item ubi ex aliqua clausula contractus potest colligi solemnitas totius, nu. 43.
Fallit etiã in actu confirmato, qui solemniter præsumitur, n. 44.
29 Persona extrinseca non præsumitur.
30 Solemnitas extrinseca est quid facti.
37 Ordinatus ad sacerdotium præsumitur solemniter promotus, quando ordinans est vir spectabilis, & magna probitatis.
42 Ordines minores sub maioribus includuntur.
45 Solemnitate extrinseca in ipso actu non enunciata, eam tamen allegante, in possessione ipsius actus existente, decem annorum cursu, inter quos præsumatur.
46 Clericus per decennium in pacifica possessione beneficii consistens, cur præsumatur solemniter promotus, & ordinatus, num. 47.
48 Emphyteuticam rem, tãquam emptam consensu domini decem annorum cursu possidens contra dominum negantem, solemnitate, & consensus adhibiti, præsumptionem habet.
49 Vnionem duarum Ecclesiarum, solemniter præsumitur cursu decennali, existente in possessione, eo qui unionem allegat contra prælatum negantem, eamque solemniter factam.
50 Census reservationem factam à patrono Ecclesie, vel capellæ, præsumi factam solemniter, concurrente cum ipsa quasi possessione longo tempore.
51 Ecclesie vel capellæ in constructione, præsumi adhibitum Episcopi consensum, si in ea per decennium divina celebrata fuerint.
52 Immunitas à Principe solemniter concessa præsumitur, existente eo, qui se immunè gerit, in decennali quasi possessione.
53 Immunitate, & exemptione concessa ab Episcopo, cursu decennij Pontificis confirmatio adhibita præsumitur.
54 Solemnitas extrinseca enunciata in ipso contractu, si de re modica, & levi præiudicio contentio sit, decennij cursu illa præsumitur, absque ulla possessione, vel quasi.
Et quid si de magno præiudicio agatur inter contrahentes, vel eorum successores, ubi recitantur opiniones, num. 55. 56. & sequent.

61 Solemnitate extrinseca, in ipso actu non enunciata, eam tamen allegante, in possessione existente, quanto temporis cursu præsumatur.
Recententur opiniones, nu. 62. 64. 65. & 66.
62 Ius tertij lex tollit diffidius, quam ipsiusmet contrahentis.
67 Solemnitatem extrinsecam concurrere possessione præsumi per lapsum decennij, & quando non procedat, nu. 70. cum multis sequentibus.
68 Pacto proprio difficilius contravenire quis potest, quam alieno.
69 Præsumptio iuris, & de iure probationem in contrarium admittit, confessione eius pro quo ipsa extat.
71 Licentia summi Pontificis in alienatione bonorum Ecclesie, neque 30. annorum cursu præsumitur.
73 Dispensatio, quia est contra ius commune, cursu temporis an præsumatur.
Et quid in antiquis, nu. 75.
74 Iuramentum suppletium defertur, quando pro eo qui iurare velit, extat præsumptio.
76 Vnionem in beneficiorum requisitam solemniter, cursu temporis adhibitam præsumi.
82 Præsumptiones duas in eodem actu concurrere, à iure non conceditur.
84 Præsumptio ut credit veritati, ita efficaciori etiam præsumptioni.
85 Præsumptio orta à diurnitate temporis admittit probationem in contrarium.
88 Emphyteusis probari quidem per scripturam debet, diurnitate temporis tamen intervenisse, satis probatur.
89 Vnionem Ecclesiarum, & ordinum collatione temporis ob diurnitatem scriptura præsumitur intervenisse.
94 Agere non valenti, nulla currit præscriptio.

P R A E S U M P T. CXXXII.

De titulo, & causa, hoc est, de substantia obligationis, differimus superiori præsumptione, nunc de solemnitate, nempe de quadam ipsius obligationis qualitate agendum est. Distingunt interpretes vno ore omnes in l. sciendum, ff. de verb. oblig. solemniter factam esse intrinsecam, aliam verò extrinsecam. Ita sane Bar. ibi. nu. 2. Alex. nu. 12. Iaf. num. 11. & reliqui omnes, quos infra longa serie commemorabimus. Solemnitatem intrinsecam esse scripsit præcitato in loco Bart. in tertia oppos. quæ ex natura verborum prolatorum comprehenditur. Et Bar. secuti sunt reliqui, teste Iafone. Albericus verò dixit, solemnitatem intrinsecam esse quid facto adhærens, vnde posito facto opponitur solemnitas, quæ inest de iure ipsi facto. Et ab Alberico non dissentit Iaf. in d. l. sciendum, nu. 1. in fine, et si ipse aliam descriptionem huius solemnitate commemorat, et vno verbo dicamus, solemnitas intrinseca inest actui, illum que concomitatur legis dispositione ex natura verborum, absque aliquo hominis facto. Cum enim actus ponitur, solemnitas ipsa significatur, sicuti quando dicimus aliquem fideiussisse, statim affirmamus stipulationis solemnitatem inesse, natura, & significatione verborum, secundum legis dispositionem, leg. blanditus. C. de fideiussoribus. Et apertius exemplum, in stipulatione, quæ ubi pronunciat, statim dicimus præcessisse in interrogationem, & subsecutam fuisse responsum. Cum sine illis stipulatio dici non possit. l. 5. §. stipulatio. ff. de verb. oblig. alia exempla suo loco infra commemorabimus. Solemnitas verò extrinseca est, secundum Albericum præcitato in loco, quid facti separati ab eo actu, cui adhibetur, vnde ex vno ad aliud non inferitur, & vno posito, non ponitur aliud. Possimus etiam manifestius dicere, solemnitatem extrinsecam esse illam, quæ est extra actum ipsum, & actus ipse sine ea in se stare potest, tametsi lex, actum ipsum, vnde minus solemnem, non approbet, sicuti dicimus in casu l. quecūq. §. vlt. ff. de publ. in re. ac-

toritate, & decreto prætoris sicuti lex ipsa requirit, contractus dicitur in esse productus, attamen lex ipsa non approbat, immo nullum esse decernit, ob illius solemnitatis defectum. Cum itaque duæ sint solemnitatis species, et l. lo. Corasi. Aemilius Ferret. in l. sciendum, scripserint, committentiam esse hanc Doctorum distinctionem, duo etiam hic capita constitimus, quorum primum versabitur circa solemnitatem intrinsecam præsumendam, secundum verò circa extrinsecam.
Primo in capite de intrinseca solemnitate regulam constitimus, illam præsumi. Ita Bar. in d. l. sciendum, nu. 2. & Ang. col. 4. ver. ex prædictis, qui regulam sic esse constituendam manifestè scripserunt. Sic & Aret. ibidem in summa. Alex. & Iaf. nu. 1. & nu. 24. & Fel. in c. sic ut. nu. 37. de sent. & re iud. Et probat in text. d. l. sciendum. ubi si quis scripsit se fideiussisse, videntur omnia solemniter acta: hoc est, interposita stipulatio, sine qua fideiussio non consistit. l. 5. §. satis acceptio. ff. eo. de verbo. oblig. l. blanditus. C. de fideiussoribus. §. vlt. in l. sciendum. l. lud enim verbum, & videtur, in d. l. sciendum, significat præsumptionem, non autem fictionem, sicuti ibi omnes intelligunt, & attingimus supra lib. 1. q. 10. nu. 3. et si Alc. ibid. nu. 3. existimaverit, significat interpretationem, quæ tamen verè nil à præsumptione differt, vt post Bal. & alios scripsi supra in lib. 1. q. 27.
Secundò regulam hanc probat text. l. 1. C. de contrah. & committ. stipul. cum l. sancimus. C. de verb. sign. ubi si dictum est, à quem causisse, præsumitur adhibita stipulatione, quæ est intrinseca eius solemnitas, promississe. Tertio in l. iurisdictionum. §. quod fere. ff. de pact. quo loci idem dicitur de verbo, spondidisse.
Quarto l. lecta. ff. si cer. pet. & in §. si scriptum. in inst. de inut. stip. ubi idem de verbo, promississe. Qua de re scripsi supra hoc libro præsumpt. 41. & in conf. 259. num. 17. lib. 3.
Quinto confert text. c. 1. de cler. per saltum promo. quo loci asserens se presbyterum, præsumitur prius factus Diaconus, cum presbyteratus ordo illum includat.
Hinc respondit Old. in conf. 217. quod affirmans se inuestitum, præsumitur quod præsens fuerit: Cum in inuestitura includat præsentiam, & Oldr. secuti sunt Io. An. in addit. ad Spe. in tit. de emphyteusi. §. 1. ver. nunc formam, & Alc. in d. l. sciendum, nu. 8. de verb. oblig. & alios refert, ac declarat Brun. in tract. de forma, & solemnitate. in tit. de probatione, & præsumptione formæ, & solemnitate. col. 4. ver. secundo ampliat, & solemnitate. col. 12. ver. 7. fallit.
Huc etiam pertinet, quod si quis dicit se uxorem duxisse, omnia fecisse præsumitur, quæ matrimonio contrahendo sunt necessaria. l. cui fuerit. ff. de cond. & dem. ubi Soc. in 2. notab. Alc. in d. l. sciendum, nu. 8. Confert etiam, quod si scriptum est, aliquem iurasse, & præsumitur id fecisse servatis solemnibus, vt respondit Alex. in conf. pen. lib. 5. quom retulit, & secutus est Alc. in d. l. sciendum, nu. 8. de verb. oblig. & multis comprobatur Testaurus in decis. 47. num. 18.
Accedit quod qui se monachum dicit, eius ætatis esse præsumitur, cuius eum esse oportet, qui vult esse monachus. c. in præsentia. de probat. & idem Fel. & Alciat. præcitato in loco.
Huc facit, quod si notarius afferit scripturam suam esse authenticam, præsumitur quod fuerit de ea rogatus. Cum authentica illa dici non possit nisi de ea rogatus sit. Ita Card. in c. Alb. col. 2. de testibus. & Fel. in c. ficur. num. 37. de sent. & re iud.
Extenditur primò hæc regula, vt locum etiam habeat in contractibus, & qui solum iure speciali sustineri possunt. Nam & in his solemnitas intrinseca præsumitur observata, & adhibita. Ita Iaf. num. 2. qui & Romanum recenset, & Alc. num. 9.
Exemplum afferunt in contractu dotis: Nam et si iu-

re quodam speciali, & favore dotis, valet promissio dotis, vt incerta. l. cum post. §. gener. ff. de iure dotium. attamen si in instrumento scriptum legitur, aliquem promississe dotem, præsumitur atque intelligitur mediante stipulatione. l. 1. C. de dotis promissio. Et hoc quidè procedit, etiam si potuit ea solemnitas non includi in re speciali, verbi gratia, speciali favore dotis admittitur fideiussio pacto nudo. l. vlt. C. ad Velleian. si ergo reperitur scriptum, aliquem fideiussisse in causam dotis talis mulieris, adhuc præsumitur per stipulationem promississe et si pacto nudo valere potuerit fideiussio hæc. Iaf. in d. l. sciendum, nu. 3. & Alc. nu. 10. Ita etiam Brun. in tract. de forma, & solemnitate. in tit. de probatione, & præsumptione formæ, & solemnitate. col. 3. ver. & prædicta regula. qui alios recenset. Ea ratione vsi sunt, quia in dubio sumitur interpretatio, vt actus sit firmior. l. 3. ff. de testam. milit. qua de re differemus infra lib. 6. in præf. 8. ubi explicabimus, quando sumatur præsumptio pro validitate actus.
Extenditur secundò, vt locum habeat hæc præsumptio, etiam si verba ad tempus præteritè referantur, vt si notarius in instrumento scripsit, partes ipsas suas confessiones affirmasse, quod intervenit fideiussio. Nam & tunc præsumitur solemnitas intrinseca stipulationis. Ita latè Iaf. in d. l. sciendum, nu. 4. de verb. oblig. post Ang. ibi. col. 1. & sequitur ibidem Alc. nu. 11. reiecta contraria opinione Baldi Nouelli in tract. de dote, in sexta parte principali, in vndecimo privilegio. Hanc tamen traditionem intelligit Iaf. qui supra nu. 25. nisi simpliciter dictum sit, aliquem fuisse nominatum fideiussorè. Non enim sequitur, quod per stipulationem promiserit.
Extenditur tertio vt procedat hæc regula, & præsumptio, non solum in actu principaliter gesto, sed etiam in actu enunciato, vt puta, si aliquis actus enunciatur in instrumento, vel in alia obligatione, quam in principali. Nam adhuc actus ille enunciatus præsumitur solemnitas, quoad solemnitatem intrinsecam, verbi gratia, si in instrumento fideiussionis separatim præstita, sit mentio debiti obligationisque principalis, probat debitum principale, ita quod dici non potest fideiussio præstita sine causa, & fideiussio ipsa præsumitur solemniter præstita, adhibita stipulatione, sicuti si vna simul cum principali fuisset præstita. Ita Bar. in d. l. sciendum, in prin. & ibidem Ang. Imol. Castr. Are. nu. 3. & Brun. in tract. de forma, & solemnitate. in tit. de probatione, & præsumptione formæ, & solemnitate. col. 4. ver. secundo ampliat, & Et hinc prædicti inferunt, quod si petatur exceptio instrumenti contra fideiussorem, iuxta statuti dispositionem, necesse non erit producere instrumentum debiti principalis, cum satis sit, quod eius mentio fiat in ipso instrumento fideiussionis. Quam sententiam probavit etiam Bal. in Authen. si quis in aliquo. col. 2. C. de eden. Ang. in §. & hoc in super. in auth. vt spons. larg. Florian. in l. inde Neratius. §. vlt. ff. ad l. Aquil. & l. ab ea parte. ff. de probat.
Extenditur quarto, vt locum habeat hæc regula, & præsumptio in solemnitate (vt nostri appellant) materiali, vt si quis dicat se aliquid vendidisse, præsumitur hic constitutum fuisse pretium. Ita gl. in c. de simon. & cap. ad quæstiones. de rerum permuta. Iaf. in d. l. sciendum, nu. 24. post Comen. & Alex. ibi. sic & Are. n. 2. & Alc. n. 15. qui dixit, hanc esse substantiam, non autem solemnitatem, & latè Brun. quem mox referam. Et huius sententiæ ratio est, quia cum sine pretio non consistat contractus iste emptionis, & venditionis. §. pretium. Instit. de empt. & vend. sequitur, quod asserens venditionem, dicitur etiam affirmare pretium intervenisse. Qui enim aliquid affirmat, affirmare dicitur omnia præcedentia, sine quibus actus non consistit. c. cum super. de confessionibus, ubi Bald. & Imol. Hæc tamen extensio intelligitur,